



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Tractatus Quartus. De V. & VI. Præcepto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

TRACTATUS IV.

De V. & VI. Præcepto.

CAPUT I.

Quid Quinto Præcepto prohibeatur?

Non occides.

Prohibetur hominis occisio, mutilatio, verberatio, aliaque similis affectio injusta; de qua quæritur, quæ & quando sit injusta?

DUBIUM I.

An aliquando liceat occidere, vel mutilare semetipsum?

Resp. Absque divina autoritate non licet seipsum directè, & ex intèntione occidere. Ratio, quia est contra charitatem sui, & fit injuria Reipub. & Deo, qui est solus directus & absolutus Dominus humanæ vitæ. Dixi 1. *absq; autoritate Divina*, propter Samsonem & quosdam Martyres, qui seipsos occiderunt, vel ex divina inspiratione, vel inculpata ignorantia. Dixi 2. *directè*: quia indirectè quandoq; licet se occidere, h. e. aliquid facere vel omittere, ex quo præter intentionem mors certò sequatur: quia præceptum conservandi vitam, utpote affirmativum, non semper obligat, sed potest omitti propter bonum finem, necessitatem, vel magnam utilitatem, *S. Thom. 2. 2. q. 94. v. Fill. hic t. 29. c. 4. q. 5. & Bec. 2. 2. t. 3. c. 7. q. 8.* Unde resolves.

I. Miles potest, imò tenetur persistere in statione, etsi moraliter certus sit se occidendum. *C. Lug. d. 10.*

d. 10. q. 1. Item posse ad evertendam turrim hostilē, aut perdendos hostes, pulverem incendere, et si sciat se obruendum, uti & navem mergere, vel incendere, ne hostis ea potiatur cum gravi Reipub. damno, docet *Lessl. 2. c. 9. n. 32. Fagund. tom. 1. l. 5. c. 11.* Similiter licet se objicere telo, vel ictui, ad servandam vitam Principis, amici ad mortem injuste damnati vices subire, *Lessl. 1. c. 9. n. 10.* vel in naufragio tabulam cedere, ex *Tol. Lessl. cit. Lopez. 2. p. c. 65.* Item servire peste infectis, vel ad fugiendum incendium ex alto se præcipitem dare, cum certo periculo mortis, *Lessl. & Fill. l. La. 2. c. 1. n. 3. C. Lug. di 10. f. 1.* Ubi tamen everfionem illā turris & combustionem navis (si quidem nulla sit spes evadendi) timidè, & non nisi ex gravissima, v. g. boni publici causa, videtur concedere, *vid. n. 51. 52 & Mald. rum 17. 3. cap. 1. dub. 19. Dian. p. 5. tr. 4. Res. 26. Fagund. p. 5. c. 11. n. 6. & seq.*

II. Etsi virgini non liceat ad castitatem servandam directè se occidere, licet tamen ei certo periculo mortis se exponere, etiam pro sola integritate corporali, licet rationabiliter præsumere se non consensuram: quia integritas ista magni æstimatur: *v. Laym. c. 1. n. 3.*

III. Reo licet non fugere, imò etiam sponte se sistere judici plectendum, licet positivè se ipsum perimere non possit, etiam si à iudice id ei committatur, *v. Lessl. c. 9. d. 6. C. Lugo d. 10. de iust. f. 1. n. 38. contra Vasq. 1. 2. d. 173. c. 3.*

IV. Etsi Carthusianus in extrema ægritudine possit servare vitam vescendo carnibus, idq; probabiliter ei tum liceat, (atq; aded non peccet, qui

in scio præberet cibos ex carnibus, *Sanch. Dia. p. 8. r. 7. R. 70.*) licitè tamen & laudabiliter etiam tum omittit, cū certo periculo mortis, ut contra *Vasq. & Gran. docet Dia. p. 5. d. 4. R. 32. ex Viñt. Lorc. & c.* quia rationabiliter negligit vitam pro bono communi ordinis, de *Lug. d. 10. n. 33. contra Az. & Esc. t. 6. c. 7.* ubi docet, teneri carnib. vesci, si exigat necessitas, ita ut aliter vitā conservare non possit: quod *Sanch. p. 2. cons. l. 5. c. 1. d. 35.* cum aliis sex ita distinguit: si necessitas vescendi sit ab intrinseco, v. gr. morbo, ex quo iudicio medicorum convalescere non possit, nisi esu carniū, ait probabilius esse, nō teneri vesci, (tame si licitè possit) quia morietur naturaliter ex morbo, cuius ipse non est causa: si verò sit ab intrinseco (v. g. si ob inopiam aliorum ciborum fame moriendum esset) teneri vesci, quia mors illa, cum sit violenta, ipsi imputaretur.

V. Licet carnem vigiliis & inediā moderatè affligere; qui autem advertens vitam iis notabiliter minui, nihilominus cōtinuaret, peccaret graviter, ut notat, *Lay. di. 3. de just. t. 3. p. 3. cap. 1. n. 5. ex Cajet.* Et si hic multi ob bonam fidem, & zelum Deo placendi excusentur, v. *Bon. d. 2. q. ult. f. 1. p. 7. n. 9. Fill. l. c. C. Lugo. de just. di. 10. f. 1. n. 32. 33. 36. & c.* Ubi rectè notat, aliud esse procurare abbreviationem vitæ, seu mortem positivè sibi afferre; aliud permittere, vel periculum ejus subire, vel non adhibere media ad avertendam. Prius ait esse illicitum, v. g. pœnitentiis indiscretis, carnisq; macerationibus, vitā notabiliter abbreviare: posterius verò sæpè licere, ideoque non teneri Carthusianum carnibus vesci, nec aliquem alium uti pretiosâ & exquisitâ

medicina ad mortem vitandam; nec secula rem relicto domicilio quærere salubriorem aërem extrapatriam.

VI. Excusantur aëgri, qui paulò ante mortem, causa humilitatis; vel boni exempli, petunt humi collocari: quia non intendunt vitam abbreviare, *v. Vasq. l. c. Addit. Lay. l. 3. t. 3. p. 3. c. 1. n. 5.* non teneri quinquam mediis extraordinariis, & nimis duris, v. g. abscissione cruris, &c. vitam conservare: nisi tamen ea communi bono sit necessaria, *v. Less. h. c. Sanch. in opusc. tom. 2. l. 5. c. 1. d. 34.* Ubi dicit, infirmum in periculo mortis, si sit spes salutis, non posse medicamenta respuere. Non videtur tamen virgo aëgrotans (pe se loquendo) teneri subire manus Medici, vel Chirurghi, quando id ei gravissimum est, & magis quàm mortem ipsam horret, *Escob. E. 7. c. 8. ex Turrian sum. p. 1. c. 263. dub. 5.*

Resp. II. Non licet se mutilare, nisi sit necessarium ad conservationem corporis totius: quia nemo est suorum membrorum absolutè dominus, *Less. l. 2. c. 9. d. 14.* Unde resolves.

I. Non licet se castrare ad conservandam castitatem, vel sedandas tentationes: quia hoc ad eum finem non est necessarium. *S. Thom. 2. 2. q. 65. a. 1. Less. Moli. Fill. tr. 29. c. 4. q. 3. & c.*

II. Peccant parentes, qui filios etiam consentientes castrant, ut sint utiles cantui, *v. Laym. l. 3. t. 3. c. 1.*

Quæres. An sepeliendus sit in loco sacro, qui se ipsum occidit?

Resp. Id vetant Ecclesiæ Canones: qui tamen non sunt intelligendi de iis, qui ex furore, amentia vel

vel passione gravissimæ tristitiæ, turbata phâtafia, id fecerunt, vel qui ante mortem verè de hoc doluerunt. Quòd si constet quempiam se ipsum occidisse, & dubitetur utrum deliberatè, an ex animo turbato factum, in praxi privatur sacrâ sepulturâ, cum præsumatur secundum opus externum voluntariè esse factum: nisi tamen ex circumstantiis contrarium colligatur. Si verò dubitetur, à seipso, an ab alio, v. g. sit præcipitatus in aquam, delictū tam atrox & contra naturam non præsumitur sine evidentib. indiciis. *Molt. 3. di. 20. v. Lay. l. c. n. 8. v. etiã Escob. E. 7. c. 8.* ubi dicit, eum qui moritur ex vulnere in duello accepto, si vivus ex loco discessit, non esse privandum sepulturâ Ecclesiasticâ.

DUBIUM II.

An & quomodo liceat occidere malefactorem?

Resp. Extra causam necessariæ defensionis, de quo infra, nulli id licet, nisi autoritate publica, & juris ordine servato, ut patet *Exod. 12. Rom. 13.* Unde resolves.

I. Non licet marito uxorem, aut patri filiam occidere in adulterio deprehensas: quia ad id non habent auctoritatem publicam; & leges civiles id permittentes, à Jure Canonico sunt correctæ, tanquam iniquæ. Secus est de proscriptis, quos occidendi cuius autoritas publica datur: idque non injustè, cum ad Republ. defensionem sit necessarium. Peccant tamen, qui non ex zelo justitiæ, sed odio, aut privatæ vindictæ causa faciunt, v. *Laym. l. c.*

II. Peccat

II. Peccat Princeps, vel Magistratus, (regulariter loquendo) ut *v. infra l. 5. c. 3. dub. 1.* qui occidit jubet eos non citatos, vel non auditos, vel non damnatos, etsi privata scientia constet esse nocentes, quia ex jure naturæ actus publicus fieri debet ex scientia & auctoritate publica, *vid. Cajet. V. homicidium. Fill. tr. 29. cap. 2. q. 6. n. 27. Bon. l. c. p. 1. n. 7. v. & infra l. 5. c. 3. d. 1.*

DUBIUM III.

An, & quomodo liceat occidere privata auctoritate iniquum aggressorem?

Resp. Jus naturæ permittit, ut vim vi repellas, & aggressorem, qui iniquè eripere tibi conatur vitam, aut quæ ad eam honestè agendam tibi sunt necessaria, ut bona temporalia, honores, pudicitiam, membrorum integritatem, prævenias & occidas: ita tamen, ut id fiat animo te defendendi, & cum moderamine tutelæ inculpatæ; hoc est, non inferendi majus damnum, nec utendo majore vi, quàm necessarium est ad arcendam injuriam. *Ua commun. S. Thom. q. 74. a. 7. Mol. & c. Less. dub. 8. n. 44* Unde resolves.

I. Non licet reo occidere ministros justitiæ, à quibus ad carcerem, vel supplicium trahitur: uti nec licet id proscripto, ut notat ex communi *Lay. l. 3. t. 3. p. 2.* quia non sunt iniqui aggressores.

II. Etsi ob contumeliam aliquam, v. g. si viro honorato dicatur, *mentiris*, non liceat alterum occidere, eò quòd aliter repelli possit, ac soleat, *Less. Az. Hurt. & c. Dia. p. 5. t. 4. R. 12. & 13.* licere tamen,

si aggressor fuistem, vel aliam viro valde honorato impingere conaretur, quam aliter avertere non posset, docent cum *Dian. l. c. R. 4. Less. Hurt. & alii.* 12. verum & hoc videtur in praxi periculosum.

III. Si fuste, vel solo vulnere, vel amputatione brachii, vel aliter arcere injustam vim potes, non licet occidere. Unde si quis sit persona talis, cui non sit dedecus fugere, debet fugere potius, si potest, & salvare se: secus autem, si turpe sit fugere, v. g. viro nobili, vel officiali bellico; nisi rursus hic & nunc id tali turpe non esset, ob praestantiam invaloris, vel alias ejus qualitates, v. g. quia ebrius est, vel amens; talem enim occidere non licet, quando potes fugere *Mald. Dian. p. s. t. 4. R. 9. v. Laym. l. 3. t. 3. p. 3. c. 3.*

IV. Non licet occidere furem, ob res exiguas: licet autem, si quis auferat honorem valde notabilem, aut bona magni momenti; nisi tamen alia via, v. g. juris, vel aliter, arceri aut recuperari possint. Quare quando jura significant, furem nocturnum occidi impunè, non autem diurnum, presupponunt, quod plerumque nocturni non possint aliter arceri, diurni autem possint. Alioquin enim, si nocturnus potest capi, non debet occidi; & si diurnus non potest capi, nec reperi ab eo, quod auferit, nisi occidendo, id licet: ea tamen non debent esse parvi momenti, & minimum unius aurei *secundum Mol. to. 4. t. 3. di. 16 num. 7. v. Laym. c. 3.* vel potius secundum alios apud *Dian. p. s. t. 4. R. 18. duorum;* quanquam & hoc *Diane l. c.* nimis laxum videatur, imò *Bon. de rest. rem non magni valoris hic censet,* et si sit trium vel quatuor aureorum. Si tamen talè

V. 31. Ina. XI.

(tur,

(fur. v. g.) usurpet vidente ac resistente Domino, aut Custode, aut huic vim faciat, v. g. repentem incipiat ferro invadere, permittunt cedere, *Bon. Dian. &c. l. c.* uti etiam, si dubium sit, an res possit aliter salvari, aut recuperari. *Bonac. l. c.* quia nemo inquit tenetur se exponere periculo amittendi res suas. *v. Laym. c. 3. Navar. Less. Dian. l. c.*

V. Probabilius est, hæc etiam licere Clericis & Religiosis, ob bona temporalia. Jura verò in contrarium afferri solita, intellige, quando non servatur moderamen inculpatæ defensionis, *Laym. l. c. Tan. tom. 3. di. 4. q. 8. d. 4. Escob. E. 7. c. 8.* ubi etiam docet ex *Tan. tom. 3. d. 4. n. 68.* licere virgini occidere invasorem pudicitiae, si violationem nequeat aliter evadere,

VI. Cùm tamen iniquus aggressor sit in periculo salutis, potest quis ex charitate ei parcere, & injuriam potius pati: sed non tenetur, eò quòd alter sua malitia sit in isto periculo. *Laym. ibid.*

VII. Non licet occidere, si injuria jam est contracta, vel aggressoriam fugit: quia id non esset defendere, sed vindicare, ut docet *Tol. Rodrig.* Sed *Henriq. & Navar. c. 15. n. 5. Fernandez p. 1. c. 9. §. 1.* dicunt, si Iesus magnam faceret jacturam honoris, nisi fugientem mox persequeretur, posse eum persequi, & percutere, quantum esset satis ad defensionem honoris. Quod *Laym. Bon. Less. Fill. C. Lugo, &c.* putant practicè vix posse fieri, siæ vindicta; et si speculativè videatur esse probabile, *v. Dian. p. 2. t. 1. misc. Res. 15.* Concedit tamen *C. Lugo, Molin. Less. &c.* cum *Dian. p. 8. t. 7. R. 47.* licere furem fugientem, v. g. cum equo tuo, conficere telo vel sagitt-

gitta; quia invasio adhuc durat. Etsi verò id non liceat, postquam in tutù se recepit, si tamen per Judicem non possis recuperare rem tuã, potes ingredi locum, ubi illa detinetur, eamq; tibi vindicare, & si alter vi impediatur, vim vi repellere, *Tan. Less. Mald. Hurt. Dian. p. 5. t. 4. R. 37. & p. 8. t. 7. R. 47.*

VIII. Ad defensionem vitæ, & integritatis membrorum, licet etiam filio, religioso, & subdito, se tueri, si opus sit, cum occisione, contra ipsam parentem, Abbatem, Principem: nisi fortè propter mortem hujus, secutura essent nimis magna incommoda, ut bella, &c. *Sylv. Bon. p. 8.*

IX. Licet quoque occidere eum, de quo certò constat, quod de facto paret insidias ad mortem: ut si uxor v. gr. sciat se noctu occidendam à marito; si non potest effugere, licet ei prævenire, *Nav. Less. n. 45. Fill. n. 39.*

X. Quando cunq; quis juxta supra dicta habet jus alium occidendi, id potest etiam alius pro eo præstare, cum id suadeat charitas. *Fil. Tan. tom. 3. d. 4. q. 8. Molin. d. 18. An autem, & quando ad hoc teneatur, v. Less. l. 2. c. 9. d. 13. Dia p. 5. t. 4. R. 9. 14. 20.*

DUBIUM IV.

An aliquando liceat occidere innocentem?

Resp. Directa intentione, & scienter nunquam licet; nisi Deus omnis vitæ Dominus concedat. Indirectè autem, & per accidens, aliquando licet, utendo nimirum suo jure, & dando operam rei licitæ, & necessariæ, ac tanti momenti, ut vitæ æquivalet, *S. Tho. & Doct. commun.* Unde resolves.

I. Si

I. Si Tyrannus minetur urbi excidium, nisi innocens occidatur, id non licet directè. Neq; valet, sicut membrum licet abscindere pro salute corporis, ita ut civem pro Repub. quia homo est tantum pars moralis Reip. à qua non accipit esse, & vivere, sicut membrum corporis à corpore, *Mol. tom. 4. t. 3. d. 19. Less. Fill. &c.*

II. Potest tamen Respub. eo casu talem cogere, ut Tyrannum adeat, & si nolit, tradere; cum ex charitate & iustitia legali teneatur vitam exponere pro Repub. Unde si id renuat, sit nocens. Neq; hoc erit cooperari ejus morti, sed tantum permittere; cum traditio de se sit indifferens, & mors tantum sequatur indirectè, & præter intentionem Reipub. *Mol. l. c. Less. l. 2. c. 9. d. 7. Fill. t. 29 n. 11. Lay. &c. Limitat autem C. Lugo d. 10. de just. si innocens sit subditus, vel peregrinus teneatur mori pro Rep. aliena.*

III. Si fugere non possis mortem, persequente hoste, nisi per vjam angustam, qua quispiam istic sedens esset obterendus, licet nihilominus (dummodo tamen, si infans est, sit baptizatus, ut monet *C. Lugo & Esob. Ex. 7. c. 8.*) fugere cum ejus periculo & interitu, præter tuam intentionem, *Less. n. 59. Fill. n. 36.*

IV. Similiter ad expugnandam urbem, & victoriam reportandam, si necessarium sit, licet tormenta in eum locum dirigere, ubi multi sunt innocentes: quia horum mors præter intentionem sequetur. *Less. l. c.*

V. Non licet occidere obsides, etsi, qui eos miserunt, non servent fidem: quia sunt innocentes.

Bon.

Bon. t. 2. d. 2. q. ult. f. 3. p. 7. Dia. p. 5. t. 4. R. 35. contra Azor. &c.

Quæres. An aliquando liceat procurare abortum?

Resp. Quicumq; malitiosè in se, vel altero curat abortum, peccat graviter, sive foetus sit animatus, quia est verum homicidium; sive non, quia tendit ad occisionem hominis, & est contra naturam generationis. Less. d. 10. n. 71. Si tamen ad vitam matris conservandam omninò sit necessarium, sequentes Regulæ tenentur. 1. Si foetus mortem matri allaturus probabiliter necdum sit animatus anima rationali, (animari autem communiter ajunt, marem die quadagesimo, foemellas verò octogesimo, quæ res valdè incerta est) quidam permittunt, etiã directa intentione expelli, ut Sanch. l. 9. de matr. d. 20. n. 9. & 10. Henriq. &c. contra Less. l. 2. ca. 9. d. 16. & alios, quorum sententia in praxi suadenda: quorsum enim directè expelles, cum indirectè liceat, & sufficiat? 2. Si verò foetus sit animatus, materq; judicetur moritura cum prole, nisi medicinam sumat, licet eam sumere, & secundum quosdam, tenetur, intendendo directè, suam tantum sanitatem, etsi indirectè, ac consequenter destruat foetus: quia in pari necessitate mater potest magis prospicere sibi, quàm proli. 3. Si verò cum morte matris, spes vitæ & baptismi prolis affulgeat, tenetur mater secundum plerosque sub mortali abstinere ab omni remedio destructivo prolis: quia tenetur vitam corporalem exponere, pro extrema necessitate spiritali infantis. Contrarium tamen docet, Lud. Lopez. quod

quod *Sanch. T. Charitas* dicit esse probabile. *v. Less. l. c. Sanch. Fill. c. 29. d. 6. q. 1. Bon. t. 8. n. 3.*

DUBIUM V.

De Duello & Bello.

ARTICULUS I.

Quid sit, & an liceat duellum?

Resp. Duellum est duorum (vel subinde etiam plurium) certamen, quod ex condicto, uno indicente, & altero acceptante, suscipitur, ita ut id non sit vitam defendere, sed exponere periculo. Quod etsi communiter sit mortale peccatum, licitum tamen est ex justa causa, quæ semper est attendenda. *v. Trident. sess. 25. c. 19. de reform. Sanch. 2. mor. c. 39. Item de pœna duellantium. vid. infra de excom. & Sanch. l. c. Unde resolves.*

I. Duellum non est licitum, ad indagandam veritatem vel justitiam, vel purgationem objecti criminis, aut litem terminandam: quia est fallax, imò superstitiosum medium ad eum finem; cum etiam innocens homicidium & facere, & pati possit. *Trull. l. 5. cap. 2. d. 13. n. 12.*

II. Nec ob inimicitias, aut ad injuriam vindicandam, neq; ob solam ostentationem virium, aut delectationem.

III. Nec item ad evitandam ignominiam: quia apud bonos & prudentes honorem non perdit: imò nec apud alios, si provocanti dicat, se eum non æstimare dignum, cum quo congregiatur, contra leges divinas, & humanas. Interim iturum se indies liberè suas vias, paratumque semper fore, &

nunc

nunc esse contra quemvis inuasorem se tueri, *Trull. l. c. n. 4.*

IV. Duellum licet acceptare, vel offerre ad conservandam æstimationem exercitus apud hostem, eosque debilitandos; vel ad terminandum bellum cum minore damno, *v. Sanch. l. c.*

V. Acceptare item licet, si quis aliàs te occisurus, concedat tamen arma, ut sic fortunam experiaris; quia est tantum defensio, positoque, quod aliter non possis evadere. Similiter, si Judex duos ad mortem damnatos vellet duello congregi: quia alter alterius esset constitutus minister justitiæ. *Trull. l. c.*

VI. Deniq; si vir nobilis in aula regia, vel militaris in castris, provocatus sisteret se, meræ defensionis gratia, cum spe prævalendi, privandus alioqui, ob suspicionem ignaviæ, dignitate, officio, vel favore Principis, non audet eum damnare, *Laym. l. 3. p. 3. c. 3. eundem excusat, Hurt. 2. 2. d. 170. f. 8. §. 76. Less. cap. 9. 8. Fill. c. 8. q. 6. & Nav. cap. 15.*

ARTICULUS II.

An & quousq; liceat bellum?

Resp. Bellum defensivum, quo scilicet vis iniusta repellitur, licet etiam privata autoritate: offensivum verò, quo vis infertur, ut liceat, tres condiciones requirit: 1. ut geratur autoritate Principis, vel Magistratus, nullum agnoscentis superiorem, qualis est Papa, Imperator, Reges, & quædam Resp. v. g. Venetorum, Genuensium, &c. 2. ut adsit justa causa, eaque gravis, v. gr. necessitas boni communis, & quietis conservandæ, recuperatio

in-

injustè ablatorum, coërcitio rebellium, defensio innocentum, &c. v. *Laym. hic, & Molin. t. 1. d. 104. Dian. p. 6. t. 4. R. 3* ut fiat ex recta intentione, hoc est, non ex odio, sed ex amore boni communis, quanquam si hæc ultima desit, non sit obligatio restitutionis. *Ita communiter cum D. Thom. q. 41. Laym. l. 2. t. 2. ca. 12.* Unde resolves.

I. Si quis justum bellum gerat, non potest alter licitè se defendere: quia circa eandem rem non possunt duo habere contraria jura. Fieri tamen potest, ut neutra pars peccet, ob ignorantiam invincibilem. *Fill. n. 185.*

II. Tenetur Rex, antequam bellum incipiat, omni diligentia curare, ut certus sit de ejus justitia, & gravi causa. Ad quod sequentia conducent. 1. Ut curet habere non tantum peritos, sed etiam bonos consiliarios. 2. Ut attendat, an etiam à suis impediatur, vel intervertantur literæ: aut instructiones ad ipsum. 3. Si non tantum à suis consiliariis, sed etiam à diversis Theologis curet justitiam belli, secundum leges Evangelicas examinari: & liberè edici. 4. Si auditis omnibus, ipse quoque coram Deo illam examinet statuatq; id, quod in puncto mortis se fecisse vellet. Deniq; licet sufficiat opinio probabilis de justitia belli; si tamen justitia maneat æqualiter dubia, & alter sit in possessione, non licet ei bellum indicere, cum melior sit conditio possidentis. *Fill. t. 29. cap. 9. q. 4. Trul. l. 5. c. 2. d. 3.* ubi cum *Dian. p. 4. t. 4. R. 72.* docet licere etiam principi concedere repressalia, servatis tamen conditionibus certis, quas v. apud *Palauum. tom. 1. 2. 6. d. 5. p. 4.* & hic infra *Art. seq.*

III. Perspecta iustitia belli, debet ea proponi parti adversæ: quæ si offerat competentem satisfactionem, non debet bellum inchoari. Imò ut probabilius est, etsi cœptum sit, debet, si non ex rigore iustitiæ, saltem plerumq; ex charitate mox finire. *vid. Mol. supra d. 103. Trul. l. 5 c. 2. d. 3.*

IV. Potest Princeps pro satisfactione petere restitutionem ablatorum, & expensarum; item aliquid in pœnam illatæ injuriæ. *Dunal.* Hinc potest victos privare bonis, etiam innocentes, tributa eis imperare, extruere arces, &c. quæ ad securitatem sunt necessaria. *Côn. Dian. p. 6. d. 4. R. 22.*

V. Principes tenentur stipendia solvere militibus; alioqui tenentur compensare damna, tum ipsis militibus, tum aliis, qui ab iis damnum acceperunt. *Côn. Palaus, Dian. p. 6 t. 4. R. 29.*

VI. Tenentur etiam aliquando Principes Catholici à bello, alioqui per se iusto, abstinere, si inde oriturum sit scandalum, & spiritualis ruina multorum, ac detrimentum Ecclesiæ, *v. Palaum Dian. p. 6. t. 4. R. 7.*

VII. Etsi per se loquendo, in bello iusto liceat advocare infideles in auxilium, per accidens tamen subinde, imò plerumque non licet, ratione scandali, vel periculi in fide, *v. g. ne subditi pervertantur, sacra profanentur, &c. Reg. t. 2. 21. n. 100. Fil. n. 181.*

VIII. Similiter licet alteri Principi, etiam alterius fidei, in bello iusto auxilium ferre, nisi tamen sit periculum scandali, incrementi hæreseos, & damni veræ fidei, *vid. apud Côn. tract. de Charitate, d. de bello.*

IX. Duces, Tribuni, Centuriones, aliiq; officiales peccant, tenenturque ad restitutionem. 1. Si pauciores habeant milites, quàm in solutione stipendii exhibent. 2. Quando debent ex officio cõmeatum curare, & dant militibus cibum, vel potum corruptum, ex quo morbi oriantur. 3. Si in transitu per regiones accipiunt pecunias à variis pagis, ne isthic pernoctent, aut morentur. 4. Si uni militi dent plura syngrapha ad domos diversas. *Mol. Bec. Diam. p. 6. t. 4. R. 27. & 28.* 5. Si stipendium militibus subtrahentes, permittant extorquere ab innocentibus necessaria.

X. Miles, qui in bello, & iusto & iniusto, paratus est mereri stipendia, est in malo statu, & incapax absolutionis, nisi mentem corrigat. & quidem similiter in bello iniusto, tenetur ad restitutionem damnorum; nisi inculpabilis ignorantia excuset: tum enim sufficit restitutio eorum, quæ in specie habet, vel eorum, in quibus factus est ditor. *v. infra.*

XI. Si vocatus ad bellum sit subditus Principis, qui bellum gerit, aut ab eo ante conductus, non tenetur inquirere de iustitia belli, quamdiu nulla vehemens suspicio occurrit in contrarium, quæ positivè reddat dubium: quia potest præsumere pro suo Principe, cui in dubio debet obedire, & jusq; autoritas plerumq; illi sufficiet, ad formandum etiam positivè iudicium probabile, de iustitia causæ, ne cum dubia fide operetur. *v. C. Lugod. 13. de iust. l. 1. n. 21.* Si verò non sit subditus, tenetur prius inquirere, postea saltem probabile formare iudicium, bellum esse iustum, *Molin. d. 113. Fillm.*

171. *Laym. l. 2. t. 3. cap. 12. n. 8. Az. Mald. Regin. contra quosdam apud Dian. tom. 2. t. 5. misc. R. 69. & tom. 3. t. 3. Res. 7. C. Lugo l. c. Escob. E. 7. c. 8.*

XII. Miles intelligens bellum esse injustum, in quo est, non potest absolvi, nisi velit, quam primum potest, curare dimissionem, & interea abstinere ab actibus hostilitatis, v. g. cæde, præda, &c. v. *Laym. lib. 2. t. 3. c. 12.* An autem talis possit occidere militem hostilem se invadentem, v. *Escob. E. 7. t. 8.*

ARTICULUS III.

Quid in bello justo liceat?

Resp. Etsi circa hostes in bello justo liceat ea omnia facere, quæ ad finem belli sunt necessaria, v. g. occidere, spoliare, &c. innocentes tamen (quo nomine intelliguntur pueri, qui arma gestare non possunt, mulieres, senes, Religiosi, Clerici, peregrini, mercatores, & rustici) directè vitâ spoliari non possunt, bonis tamen externis possunt, si sint pars Reipub. hostilis, aliterque finis belli obtineri non possit. *Moli. Bec. p. 2. c. 10. 21. & 12. Laym. Fil. n. 191. &c.* Ratio est, quia cum sint pars Reipub. possunt propter hujus delicta puniri, in iis bonis, quæ Reipub. dominio subsunt. *Vnde resolves.*

I. Per accidens licet aliquando comburere etiam Ecclesias, & hostes ex iis extrahere, in iis spoliare & occidere, si v. g. Ecclesia velut castro, ad repugnandum utantur. *Sylv. V. bellum n. 11. Sa. Bon. p. ult. s. 3.*

II. Contra hostem licet uti insidiis, & stratagematis, dummodò absint mendacia, etsi etiam hæc,

v. gr. quando exploratores se fingunt amicos, non sunt mortalia. Ea verò, ad quæ cavenda nulla prudentia datur, v. g. veneno inficere pureos, aquas, glandes, sunt contra jura belli, nec licent. *Moli. d. III.*

III. Fides hosti data servanda est, nisi vel coactus dederis, vel in grave detrimentum cedere Reip. aut Religionis; aut si hostes eã non servant, aut denique conditiones ac circumstantiæ planè sint mutatae. *Dual. Palaus. Dian. l. c. R. 10. v. etiam Laym. l. 2. t. 3. c. 12. 1*

IV. Capti in bello, etiam ex parte capientium justo, nisi obstet scandalum, aut specialis promissio, possunt fugere, & bona hostium secum auferre, *Laym. l. 2. t. 3. c. 12. num. 16.* An obsides liceat occidere, v. supra *dub. 4. cap. 5.*

V. Potest quidem aliquando, (rarò tamen, & non nisi ob causas gravissimas) dari urbs in prædam: milites tamen privata autoritate prædas agere, aut hostibus damna inferre non possunt, quia sunt executores tantùm & ministri, v. *Sa. v. bellum. Laym. hic l. 2. tr. 3. c. 12. Fill. n. 198. Dian. p. 6. t. 4. toto.* dum autem urbs spoliatur injustè, gregarios milites tantùm teneri ad damnum, quod ipsi intulerunt, probabile esse; docet *Dian. l. c. R. 31. ex Sylv. Nav. &c. Item p. 3. t. 5. R. 86. v. infra t. 4. c. 2. d. 3.*

VI. Milites peccant cum onere restituendi, si à Rusticis, aliisve apud quos hospitantur, vel per quorum loca transeunt, auferant, aut invitis extorqueant, vel etiam donata accipiant (nisi constet omninò liberè fieri, si quidem donationes istæ ple-

plerunque non spontaneæ, sed coactæ sunt) præter ea, quæ ex constitutione Principis iis debent subministrare: nisi tamen sint in extrema, vel saltem gravi necessitate, *Moli. Cõn. Palaus. Bec. &c. Dian. p. 6. t. 4. R. 26.*

VII. Repressalia licita sunt his conditionibus, 1. ut manifestè constet cives alterius Reip. fecisse injuriam, 2. ut superiores illorum rogati recusent administrare justitiam, 3. ut constet eos culpabiliter id recusare, 4. ut Princeps supremus causa cognita id concedat, 5. ut non inferatur plus damni, quam justa satisfactio requirit, 6. ut non concedantur in personas Ecclesiasticas, *Moli. Dian. p. 4. t. 4. R. 72. ex 18. aliis.*

Quares. Ad quem pertineant bona hostibus erepta.

Resp. I. Immobilia cedunt Principi, aut Reipublicæ: mobilia fiunt capientis, nisi consuetudo habeat, ut pars cedat Principi, & communitati. II. Jure Cæsareo, nisi consuetudo sit contraria, bona ablata justo bello, qui ea injustè possidebant, fiunt capientium, postquam ea in sua præsidia deportarunt. *Valent. tom. 3. d. 4. q. 18. p. 3. Molin. d. 18. & Hurtad. tom. 2. d. 169. f. 119.* ubi requirit, ut una saltem nocte possederint, v. etiam *Sylv. Bonac. l. c.* de peccatis in bello committi solitis. *Trul. l. 2. d. 10.*

& seq. Dian. p. 6. t. 4. R. 23. ubi contra *Durand.*

docet hanc sententiam esse in præxi tutam,

CAPUT II.

De VI. Præcepto & IX.

Non Mœchaberis, &c. Non Concupisces, &c.

CONjungo hæc duo Præcepta, quia utroque eodem explicitè, vel implicitè prohibetur; scilicet peccata Impudicitiae, & Luxuriae. Est autem luxuria inordinatus appetitus, vel usus delectationis, seu sensus veneri, qui fit cum commotione spirituum generationi servientium, circa partes corporis veneras, ita ut appetitus vel delectationes aliæ, etsi etiam sensitivæ aut sensitivorum, si tamen non sint veneræ, aut venerorū, nec ad ea ordinentur, non spectent ad luxuriam. Porro actus, seu peccata luxuræ distinguuntur in imperfectos, in quibus non intervenit ultimus terminus venerorum, quæ est decisio seminis, ut sunt actus interni desideriorum, & oblectationum morosarum, qui speciem sumunt ab objectis: & perfectos, ac consummatos, qui terminum jam dictum habent adjunctum. Quæ rursus sunt duplices. Alii enim sunt naturales, qui naturæ non repugnant, nec specie differunt in ratione luxuriae, (etsi per deformitatem superadditam aliquando specie differant) v. g. adulterium, incestus, &c. Alii innaturales sunt, seu contra naturam, in quibus conditiones à natura institutæ, v. g. identitas speciei, vas debitum, &c. non servantur. Et hi etiam in ratione luxuriae differunt specie, quæ in illis variatur se-

cundum modos, quibus committuntur naturæ repugnantes.

DUBIUM I.

An, & quanta peccata sint, oscula, amplexus, tactus, verba obscena, & similia, extra matrimonium?

Resp. Ad id dignoscendum, distinguenda est imprimis intentio, & delectatio venerea, & venereorum, ab intentione & delectatione sensitiva, & sensitivorum aliorum, quæ consistit in quadam proportione, & conformitate rei tactæ cū organo tactus. Deinde sciendum, intentionem & sensum venereorum esse mortalem, & excludere à regno coelorum, secundum Apostolum ad Gal. 5. Unde resolves.

I. Oscula, amplexus, aspectus, tactus, & similia, si extra matrimonium fiant, ex intentione actus luxuriosi, vel ob delectationem veneream, etiam si non illam perfectam, quæ est in seminatione, sunt tamen semper peccata mortalia: quia eo animo, extra matrimonium, sunt impudica, & natura sua talis delectatio tendit ad perfectam, *Fill. t. 30. c. 9. num. 174. Less. l. 4. c. 3. d. 8. Sanch. l. 9. d. 46.*

II. Tales actus sunt ejusdem naturæ cum perfectis sive consummatis, ideoq; in confessione explicandum, utrum sint habiti cum simili sexu, an diverso; cum libera an conjugata, cognata, persona sacra, &c. *Less. d. 15. Sanch. l. 1. c. 2.*

K 4

III.

III. Oscula, amplexus, compressiones manuum, & similia non obscœna, si fiant tantum officii, aut moris patrii, aut amoris honesti, vel benevolentiae augendae causa, etiamsi delectatio venerea suboriatur, (modo in eam non consentiatur) non sunt peccata. *Less. Fill. l. c. n. 171.*

IV. Si verò ista fiant ex aliqua veniali vanitate, joco, curiositate, levitate, petulantia, (dummodo non cum delectatione venerea, nec ejus causa; & si præter intentionem suboriatur, ea repulsa, ac tunc abstinendo) venialem culpam non excedunt, ut *v. Fill. hic Less. Sanch. l. c. Dian. p. 4. t. 4. R. 136.* Contrarium tamen est tutius, ut v. g. *Trull. l. 6. c. 1. d. 12. n. 8.*

V. Idem dicendum de tactu; & aspectu inhonestarum partium corporis proprii, aut commixtionis animalium, non cum animo venereo, sed ex curiositate tantum, aut levitate, secluso tamen scandalo, & periculo consensus venerei. Imò si tactus talis, aut aspectus proprii corporis naturaliter aliquo, ac non malo fine fiat, nec veniale quidem erit, ut v. g. si fricatione extinguere velis pruritus non venereum: dummodo tamen absit periculum pollutionis, aut consensus in eam, si improvise præter intentionem fortè obveniret, *Less. n. 63. Fill n. 215. Sanch. l. 9. d. 4.*

VI. Tactus nudi, & aspectus partium inhonestarum alterius corporis, maximè diversi sexus, aut concubitus humani ex curiositate, (nam de necessitate aliud est) etiam secluso affectu venereo, videntur non posse excusari à mortali, propter gravem indecentiam, & periculum proximum a-

ctus

ctus venerei: nisi tamen aspectus fiat ex loco tam remoto, & ita obiter, ut hæc absint, *Sanch. n. 23. & 29. Fill. n. 218. Laym. &c*

VII. Aspectus verò, & subinde etiam (rariùs tamen, propter periculum adjunctum) tactus, ex pecculantia vel curiositate, patrium inhonestarum alterius corporis, ejusdem tamen sexus, citra affectu & periculum consensus venerei, excusari posse à mortali, ut v. g. quando simul aliqui natant, vel lavant, docet *Laym. l. 3. f. 4. ex Sanch. l. 5. mor. c. 6. n. 2. 13. & n. 27. & 28. Trull. d. 12. n. 15.*

VIII. Verba turpia, lectio obscœnorum, spectatio comœdiarum turpium, cantiones inhonestæ, gestus, literæ, & dona amatoria, si tantum fiant ex curiositate, vel vano solatio, non sunt mortalia: secus tamen si fiant, vel animo inhonesto, sive venereo, vel cum periculo ruinæ spiritualis sui, vel aliorum, *Sanch. d. 46. q. 3. Fill. t. 30. c. 10. q. 3.*

IX. Choreæ nisi malo fine fiant, aut cum periculo, aliquos, aut se ipsum incitandi ad libidinem, vel cum alia circumstantia mala, secundum se non sunt malæ, nec actus libidinis, sed lætitia. Quando verò Sancti Patres eas interdum valdè reprehendunt, loquuntur de turpib. & earum abusu, *v. Cajet. V. Chorea. Fill. n. 223.*

X. Exhibentes comœdias turpes, item facientes libros, aut picturas incitantes ad libidinem, peccant mortaliter: quia sunt ruina proximi; cum moraliter certum sit multos inde ad peccatum incitandos, *Fill. n. 211.* Similiter Magistratus, qui permittunt exhiberi turpes comœdias, peccare mortaliter docet, *Hurt. & cœcedit Baldel. si autho-*

ritatem illis præstent, approbent, vel foveant: addit tamen posse aliquando excusari, si ad majus malum impediendum non puniant, & tantum tolerant. *v. Dian. p. 5. t. 13. R. 82.*

XI. Persona soluta permittens se tangi ab alia, tactu, qui vulgò censetur pudicus, ut prehensio, contrectatio manus, amplexus, & oscula, juxta morem patriæ, non peccat; nisi ei constet fieri pravo affectu: huic enim cooperari non licet, Docet tamen. *Fill. etiam tunc admitti posse, ne tangens infametur. Admittens autem tactus impudicos, (ut mamillarum & obscenarum partium) vel oscula furtiva, & morosa vel indecentia peccat: quia præsumitur affectus malus, v. Fill. t. 30. n. 196. & infra l. 5. c. 1. dub. 2.*

Quæres. An & quatenus liceant tactus, aspectus, &c. inter conjuges, vel sponfos?

Resp. I. Conjugibus licent, si referantur ad copulam: ad hanc enim licitè se excitant. Alio autem fine, v. g. voluptatis causa si fiant, sunt peccata venialia: quia matrimonium eos cohonestat, ac defectus debiti finis non est mortalis; nisi tamen habeantur cum periculo pollutionis; quæ cum iis sit illicita, eo casu erunt mortalia, regulariter saltem. *Sanch. l. 9. d. 46. n. 7. Fill. n. 357. & alii.*

Resp. II. Sponsis tactus impudici non licent; pudici verò in partibus honestis licent, si ex iis tantum intendant delectationem sensitivam: scilicet, si venerem, *Sanch. l. c. n. 50. &c.*

Bon. p. 9. n. 7. &c.

DUBIUM II.

Quæ sint species luxuriæ consummatae naturales?

Resp. Eæ dicuntur, in quibus fit commixtio eo modo, quo natura instituit, v. g. quando servatur sexus diversus, species eadem, vas & modus naturalis, &c. *ut vide in principio hujus cap.* Unde resolvitur, tales esse has sequentes, quæ ided in confessione sunt exprimendæ.

I. Est Fornicatio, quæ est concubitus soluti cū soluta, (hoc est, quæ sit libera à voto, matrimonio, religione) ex mutuo consensu. Ad hanc reducitur. 1. Concubinatus, qui est fornicatio continuata. Unde concubinarius (sicut & meretrix) ordinariè non debet absolvi, nisi dimissa concubina, aut muliere suspecta, cujus retentio scandalum daret, licet cum ea non peccaret, *Sanch. l. 1. mor. ca. 8. Nav. c. 3. Fill. tr. 30. c. 2. n. 56. 2. Congressus cum alterius sponsa, quæ est fornicatio intra eandem speciem gravior, & in confessione aperienda, saltem respectu sponsæ, ut docet Rodrig. tom. 1. cap. 109. Sanch. de mat tom. 2. l. 1. d. 2. num. 6. Fagund. t. 2. l. 4. c. 3. Fill. s. 2. tr. 30. c. 2. n. 53. contra Covar. Viraldum. Ledes. Azor. quorum sententiam (etiam respectu sponsæ) probabilem, & in praxi tutam, censet Dian. p. 1. tr. 7. R. 5.*

II. Stuprum, hoc est defloratio virginis, ipsa invita; quia si consentiat, erit tantum fornicatio simplex, nec circumstantia in confessione aperienda, ut probat Less, *Sanch. l. 17. d. 12. contra Nav. Azor. & alios.*

III. Raptus, cum scilicet persona aliqua, (sive masculus, sive foemina; sive nupta, sive innupta) libidinis causa abducitur, illata vi, sive abducta, sive iis, quorum potestati subest. Si quæ tamen sponte discedat cum Amasio, in sciis parentibus, non erit proprie raptus, sed fuga non addens malitiam specie distinctam fornicationi. *Lugo. d. 16. n. 237. Fill. num. 110. v. Bonac. Idem dicit Dian. p. 1. t. 7. R. 37. ex Less. l. 2. cap. 10. dub. 4. Sanch. de matr. 10. 2. l. 7. d. 4. n. 5. &c.*

IV. Adulterium, cum scilicet uterque, vel alteruter coeuntium, est conjunctus matrimonio, etiamsi adulterantis conjux sit contentus: esto enim tunc illi non fiat injuria, fit tamen ipsi statui, Sacramento, & huic præcepto. Quod foemina adulterans sit conjugata, gravius habetur, quam si vir; propter incommoda graviora, v. g. damnum veri hæredis, prolis incertitudinem, &c. Si verò uterque sit conjugatus, adhuc gravius est: quia sunt duæ injuriæ in utriusque conjugem, in confessione exprimenda, *Fill. 2. 29. c. 4. n. 85. & 89.*

V. Incestus, hoc est congressus cum consanguinea, vel affine, usque ad quartum gradum: eò gravius peccatum, quo gradus est propinquior: quem proinde in confessione exprimere, saltem securius est, ut habet *Nar. c. 6. C. Lugo d. 16. n. 312.* Sicut etiam multo gravior est incestus cum consanguinea, quam cum affine in eodem gradu, v. gr. cum matre, quam cum noverca; cum sorore propria, quam cum sorore uxoris. Et rursus, gravior est cum affine, quam cum cognato spirituali vel legali. Addi verò debet, si in primo gradu fuerit, utrum

cum matre, an cum filia, an sorore, *C. Lugo l.c. & Escob. de actibus humanis E. 2. c. 6.* ubi ex *Hurta. d. 9. de pœn. dif. 4.* probabile dicit, incestum in eodẽ gradu & linea, ejusdem esse speciei, (eodẽ tamen graviolem, quo gradus est vicinior stipiti) & satis esse dicere, habui rem cum consanguinea in linea recta. Ad hanc speciem revocatur tanquam analogã, fornicatio cum filia confessionis, cum proprie non sit cognatio spiritualis, quam tamen circumstantiam in confessione exprimendam esse, probat *Sanch 7 de matr. d. 55. Cõn. d. 32. Fagund. & ceteri probabiliter contra Sa. V. Confessio. & Dian. vide C. Lugo n. 355.*

VI. Sacrilegium, hoc est violatio rei sacræ per actum venereum. Res autem sacræ, quæ sic violantur sunt locus, & persona. Unde sacrilegium est 1. omnis actus luxuriosus exterior, (qualis etiam est v. g. pollutio, & probabiliter etiam tactus impudici, ut *v. C. Lugo n. 464.*) in loco sacro, hoc est templo, vel cœmeterio: nisi tamen fiat à conjugibus, ex necessitate, v. g. ad vitandam incontinentiam. 2. Omnis actus luxuriosus tam interior, quàm exterior in persona, vel cuius persona voto castitatis consecrata: circa quem tamen non probabile est, non opus esse exprimere, utrum fuerit votum solemne, an simplex. Sicuti neque, si duplici titulo sit sacrata, v. g. quia est Sacerdos & Religiosus: quia moraliter est una numero malitia *Sanch. de matr. l. 7. d. 27. n. 27. Henriq. & ceteri, quos citat Diana, & sequitur p. 1. t. 7. R. 3. vide C. Lugo d. 16. de pœn. s. 4. Bon. q. 4. p. 17. Esc. E. 8.*

DUBIUM III.

*Quæ sint species luxuriæ consummata
contra naturam?*

Resp. Cum contra naturam esse dicantur eæ, in quib. fit seminatio modis repugnantibus institutioni naturæ, ita, ut juxta tales modos species variantur, hinc resolvitur tales species esse sequentes.

I. Congressus inordinatus, hoc est, innaturalis, si-
ve indebitus concumbendi modus, cum scilicet
servatur quidem idētitas speciei, diversitas sexus,
& debita naturæ organa, sed inordinato tantum
modo acceditur: v. g. cum vir succumbit, vel aver-
sè accedit more pecorum, vel à latere, vel stando
aut sedendo, aliave ratione insolita, quod est con-
tra naturam: mortale, quando inde periculum est
impediendæ generationis, ut effundendi seminis,
alias si hoc periculum caveatur, aut non sit, eò
quòd matrix foeminae satis attrahat semen, & re-
tineat, ut fit plerumque, non contra, sed præter na-
turam erit, & veniale grave, imò nullum, si gravis
causa adsit, v. g. quia mulier est prægnans, vel quia
corporis dispositio, siue utriusque, siue alterius
conjugis aliter fieri non patitur. *Fill. t. 30. c. 8. g. 8.*
n. 137.

II. Mollities siue pollutio, & est, cum absq; con-
gressu seu copula, voluntariè procuratur fluxus
feminis, siue id foras effundatur, uti in maribus, si-
ve intus diffluat in matricem, ut in foeminis. Et
hoc peccatum præter propriam malitiam, sæpè a-
liam habet adjunctam, ut v. g. fornicationis, adul-
terii, & incestus, & c. cum quis nimirum simul ima-
gi-

ginatur, ac desiderat congressum alicujus personæ libere, cōjugatæ, &c. quod proinde si fiat, in cōfessione aperiendū est. Plura de mollitie. v. *se 7. dubio.*

III. Sodomia imperfecta, & est congressus cum debito quidem sexu, maris nempe cum fœmina, sed extra vas naturale. Potest etiam simul habere alias malitias, v. g. adulterii, si fiat cum conjugata, incestus, si cum consanguinea, *Bonac. q. 4. de mat. p. 11. n. 1. Fil. l. c. n. 158.*

IV. Sodomia perfecta, & est congressus duorū ejusdem sexus, ut maris cum mare, vel fœminæ cum fœmina. Et potest etiam habere alias malitias adjunctas: v. g. incestus: quo casu cognationis gradum non necessariò explicari docet *Escob. de act. hum. E. 2. c. 6.* sed satis esse dicere, coivi cum cōsanguineo, vel affine, quia nec miscetur caro, nec contrahitur affinitas, nec linea variat speciem. Ita ille, Explicandum tamen esse, fuerisne agens an patiens, dicit *C. Lugo d. 16. n. 4. 23.* contra *Dianam tom. 2. t. 4. de sacram. R. 159.* & *p. 6 t. 6. R. 36.*

V. Bestialitas, quod est gravissimū inter omnes, & est congressus, in quo non servatur identitas speciei, v. gr. si homo coeat cum bestia, sive ejusdē sexus sit, sive non. Neque opus est explicare, qualis, sive cujus speciei fuerit, quia est differentia tantum materialis, & in genere entis: non autem formalis, & in genere moris, *Escob. E. 2. c. 6. ex Fill. tom. 2. tr. 30. cap. 7. num. 131.* Huc revocatur peccatum cum Dæmone succubo, vel incubo. Cui peccato superadditur malitia contra religionem, & præterea etiā Sodomix, adulterii, vel incestus, si affectu viri, vel mulieris, Sodomitico, adulteri-

no,

no, vel incestuoso, cum Dæmone coeat, v. *Bon. de matr. g. 4. p. 12. Fill. n. 162.*

DUBIUM IV.

An aliquando liceat procurare pollutionem?

Resp. Autoritate Scripturæ, quæ molles à regno cœlorum excludit, 1. *Cor. 6.* docent omnes, nullo casu licitum esse intendere, vel procurare directe mollitiem, ne quidem causa sanitatis: ac vitandæ aliàs certæ mortis, Causam dat *Sanch. lib. 9. d. 17.* quòd natura ad administrationem seminis, extra matrimonium, in omni eventu, homini denegavit, eò quod adedò vehemens sit in ea re sensus voluptatis, ut homines passione excœcati, passim sibi facile persuaderent, habere se iustam causam irritandi seminis, unde plurima gravissimaq; vitia contra bonum commune, & in impeditioe generationis emergerent, *Nav. ca. 16. Less. & commun.* Unde resolves.

I. Distillatio, quæ est fluxus humoris, quasi medii inter urinam & semen, (cum quo coloris & viscositatis similitudinem gerit) sine ingenti illa delectatione, non est vera pollutio, & si proveniat sine omni commotione sensus venerei, ut quandoque fit, de ea non magis laborandum, quam de sudore, dicit *Cajetan.* Si verò fiat cum sensu carnis, & commotione spirituum generationi servientium, tum ei cooperari, vel causam præbere, non est, vel est peccatum, idque veniale, vel mortale, ad eundem modum, quo de pollutione dicitur, *Sanch. 9. d. 45. n. 32. Laym. l. 3. f. 4. n. 18.*

II. Si semen iudicio medicorum transiit in materiam venenosam, licet eam medicamentis expellere, etsi præter intentionem sequatur aliqua veri seminis emissio, *Sanch. l. 9. de matr. d. 17. n. 56. Fill. t. 30. c. 8. n. 150. Trul. l. 6. ca. 1. d. 8. §. 1.*

III. Non tenetur quis (modo tantum absit periculum consensus in voluptatem, nec voluntarie promoveat) impedire pollutionem sponte sua evenientem, aut jam ceptam, v. g. in somno, reprimere, sed potest sanitatis causa sinere, ut natura se exoneret: quia id non est procurare, sed pati ut effluat, quod alias corruptum sanitatem læderet, Unde idem admittit *Sanch.* etiamsi orta esset prius ex culpa; modo de ea doleat, & consensus ulteriorem abstrahat, additque, plerumque expedire, munire se cruce, & sine alio tactu, quietis manibus, rogare Deum, ne permittat lapsum in delectationem, *Sanch. d. 17 n. 17. Trul. l. 6. c. 1. d. 10.*

IV. Licitum est ob finem honestum, v. g. minuendæ tentationis, sanitatis, tranquillitatis animi, optare simplici affectu spontaneam, & naturalem exonerationem naturæ, modo desiderium illud non sit causa efficax pollutionis. Similiter licet etiam de ea gaudere, via naturali & sine peccato facta: quia objectum istius desiderii & gaudii non est malum, quanquam ejusmodi desideria simplicia inutilia esse, nec periculo carerere, quidam bene observent, *Less. d. 14. n. c. 15. Lay n. 17.*

V. Si quis facturus rem aliquam necessariam, vel licitam & honestam, prævidet inde naturaliter secuturam pollutionem (idque multo magis valet de distillatione) quã tamen ille nullo modo velit, nec

intendat, tunc, modò absit periculum consensus in delectationem non tenetur abstinere à tali actione: quia prosequenti suum jus, non imputatur effectus per accidens, & præter intentionem secutus. Hic non obstante periculo pollutionis, licet audire confessiones mulierum, studere casibus conscientiarum, tangere se ex necessitate, foeminas caute & cum necessitate alloqui, osculari, amplecti juxta morem patriæ, si alioqui incivilis habendus esset. Quod si tamen periculum esset consentiendi in delectationem, quod colligitur inde, si sapius ex simili occasione mortaliter sit lapsus à causa illa, quantum vis licita, abstinendum esset, proindeque confessarius tali casu teneretur relinquere officium. *Fill. Sanch. l. 9. d. 45. Nav. c. 19. Lay. n. 16.* Monet autem *Laym.* cum, qui in actionibus honestis & utilibus talem miseriam experitur, facilius liberari contemnendo, quam æstimando, quia imaginatione & timore augetur.

VI. Si pollutio secutura prævideatur ex re illicita, otiosa, vel minus necessaria, & hæc sit causa propinqua, ac natura sua ad venerem ordinata, ut sunt actus luxuriosi, tactus, aspectus, lectio, auditio, locutio turpis, mortale est ab illa non abstinere: quia in eam consentiens, mortaliter in effectum consentire censetur. Quod si verò res illa sit causa tantum remota, per accidens tantum ad pollutionem concurrens, qualis est, v. g. efus, aut potus calidorum, equitatio, confabulatio inutilis, crapula, ebrietas etiam mortalis, (modo pollutionem non intendas, & absit periculum veneri consensus) secuta pollutio non est mortalis: quia in talem rem

consentens, non ideò velle censetur effectum. *Fil.*
tr. 30. cap. 8. q. 16. n. 152. Sanch. l. c. Less. l. 4. c. 3. d. 14.
v. Dian. p. 5 t. 13. R. 4. Addunt quidam DD, hanc re-
 gulam, pollutionem in causa volitam tantum esse
 peccatum, quantum est ipsa, ut si causa sit pecca-
 tum mortale, etiam ipsam fore mortalem; si sit ve-
 niale, venialem: si verò causa nullum sit peccatū,
 nec ipsam fore (secluso semper periculo consensus)
 hinc venialem v.g. esse illam, quæ provenit ex le-
 ctione curiosa, vel aspectu per se non mortali.
Trul. l. 6. c. 1. d. 9. ex Lopez. Henriq. Vasq. Bon. de
mat. p. 10. v. Dian. p. 1. t. 2. misc. R. 56.

VII. Pollutio in somno facta est mortalis, 1. si
 antè directè, vel formaliter est procurata, & causa
 non est retractata, 2. quando post somnum pla-
 cuit, & approbata est propter delectationem ve-
 neream, alias non, *Fil. q. 5. n. 148. Trul. l. c. n. 9.*

Quæres. An mutua pollutio inter mares, vel
 fœminas procurata, sit mollities tantum, an Sodo-
 mia.

Resp. Si fiat ex solo affectu ad veneream libidi-
 nem, absque concubitu, esse tantum mollitiem: si
 verò fiat ex affectu ad personam illam indebiti se-
 xus (præsertim si adsit aliqua conjunctio, & com-
 mixtio corporum) est quoad malitiam Sodomia.

Fil. t. 30. cap. 8. Plura de tota hac materia v. infra
lib. 5. c. 1. dub. 2. art. 2. de peccato in genere, &
Autores citatos.

TRA-